


Exercitatio Theologica Nona De Luce Increata, Et Creata

Tubingae: Reisius, 1684

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn872463559>

Druck Freier  Zugang





78.



Fa - 1092(78) (SON)

Tomo Soc. LXXXVII. habent

1. Isaac Faustig de Epistola Jacobi sententia Veterū.
2. ——— ad locum Jacobi V, 14. 15. p sent. Lutheri prior.
3. ——— ——— ——— ——— ——— Posterior.
4. ——— ——— ——— ——— ——— Tertia.
- 5-13. Jo. Adami Osiandri Disputationes IX. de luce increata et creata.
- 14-18. Michaelis Muller Disputationes V. de Invocatione S. S.
19. Wilhelmus Zeschig de Theologia principio cognoscendi.
20. Georgius Hennig Haerberling de Benivolentia Dei generali et speciali.
21. Fndencus Gerschorig de Passione et morte Jesu Christi.
22. ——— Haerberlinus de Baptismo.
23. Jo. Adamus Scherzerus de fide baptisatorum infra ^{tum}
24. Antonius Reiserus de Sacram. Baptismi.
25. ——— Haerberlinus de Justificatione.
26. ——— J. A. Osiander de Justificatione
27. ——— ——— de fide justificante.
28. Mich. Muller de Imputatione justificationis.
29. Jo. Fndencus Olearius de Renovatione.
30. Jo. Meisnerus de oratione spiritus in habitatione.
31. Jo. Osiander de Ecclesia.
32. Geom Hennig Keller de Ecclesia infantum.
33. Jo. Lud. Hartmannus de Elencho morali.
34. ——— Jo. Ad. Osiander de Miraculis.
35. ——— ——— ——— de Miraculis.
36. ——— ——— ——— de Jure Patronatus Episcopatus etc.

37. Geom Henricus Keller de Magistratu Pol.
 38. Krieger & Hirkander Satyra in Bökelmanni Dissert.
 inaug. de Potestate Ecclesiastica.
 39. Jo. Henrici Maji Epistola ad J. Jo. Frischlayonem.
 40. Disputatio ad 1 Jo. 11, 1. 2.
 41. Fridericus Lipsius de Martino Antonio de Do-
 minis Episcopo Spalatensi.
 42. Ministerii Tripolitani Anticenis Indicii Syncretismi
 43. Eiusdem Ministerii Liber ad Collegia Theologica.
 44. Erney Pfliqy Risus Unschuldigmüßmüß
 Luffen.
 45. Melchioris Corneci Aristoteles rediret R. Cathol.
 46. Gottlieb Wernsdorff Progr. de Ernesto Lueb.
 ad Orat. inaug. O. Luhn.
 47. —. Exploratio Spiritus Brendeliani.
 48. Jo. Reinhart Brecht de Paenit. Iterabili.
 49. Jo. Michael Ludwig de prejudiciis practiciis.
 50. Georgi Gustavi Zeltneri conjecturae de Miliano
 presenti & Apoc. pp. 4 ff.
 51. Godofredi Ludovici Progr. de Epist. ad Ebneos.
 52. Christoph. Matthiae Pfaffig de Gratia et Prae.
 53. Jo. Sigismundus Kirchmeier de Principio fidei
 Verbo Dei contra revelationes Inspiratorum.
 54. Jo. Henricus Majus Filij de Novi Anni Lib. auspiciis.
 55. Gasparij Cardilli Apologia pro Indictione Concilii
 Tridentini

J.S.

EXERCITATIO THEOLOGICA
NONA.

De

LUCE INCREATA
ET CREATA,

Quam

Ὁδηγῶ τῷ πατρὶ τῶν Φώτων.

Præside

VIRO MAXIME REVERENDO
ATQUE EXCELLENTISSIMO

DN. JOH. ADAMO OSIANDRO,
SS. Theologiæ D. ejusdemque Prof. P. famigera-
tissimo, Athenæi Tubingensis Cancellario Eminentissimo,
Præposito Ecclesiæ Spectatissimo.
Dn. Præceptore, & Fautore suo devotâ mentis observantia
perpetim colendo.

publico τῶν Θεολογῶντων Examini submittit

CONRADUS HORLACHER,
Suobaco-Francus.

Ad dies 28. & 29. Maji.

In Aula Theologorum Nova

TUBINGÆ,

Typis JOH. HENRICI REISL,
ANNO M DC LXXXIV.

V I R O

*Nobilissimo, Amplissimo atque
Excellentissimo Domino*

MICHAELI HORLACHERO,
Doctori Medicinæ Experien-
tissimo;

*Dno Genitori meo filiali amore & ob-
servantia obsequiosissimè colendissimo.*

Hoc Exercitium Theologicum

in obedientiæ suæ humillimæ
tesseram.

offerre voluit, debuit

intimè devotus

C. H. Defendens.

EXERCITATIO THEOLOGICA
NONA.

De
LUCE INCREATA
ET CREATA.

THESIS CXLVIII.

NEc defunt opera Lucis Angelis. Nam *primò* illa illuminat, ut constat ex Exodi 13. v. 21. dirigit & ducit iter facientes, ut constare potest ex Psalm. 43. v. 3. succendit & inflamat Judic. 15. v. 5. idem dicendum de Angelis, qui in V. T. aliquoties apparentes instruxerunt homines & illuminarunt, ut constat ex Danielis 8. v. 19. & cap. 19. v. 21. 22. qui dicuntur nos custodire in viis nostris. Angelis enim suis mandavit de nobis DEUS, ut custodiant nos in omnibus viis nostris, & in manibus portent, nè fortè offendamus ad lapidem Pf. 91. v. 11. & 12. qui consumunt impios, potentiam ostendunt stupendam, de quo Num. 22. v. 30. 31. 32. 33. unde etiam *Clemens Alexandrinus* lib. 5. Stromatum explicans *Platonis* Dogma de Viris ignitis sceleratos punientibus addit: *Viri illi igniti ei significare volunt Angelos, qui assumptos injustos puniunt, qui facit, inquit, Angelos suos Spiritus & Ministros suos ignem ardentem.*

CXLIX.

Tetigit aliquatenus hæc Angelorum proprietates & effecta *Joannes Damascenus* libro secundo de orthodoxa fide cap. 3. scribens: Ipse Angelorum factor & opifex, DEUS est, ipsos ex nihilo ad Esse deducens, ad propriam illos creans imaginem naturam incorpoream, ut Spiritum quendam, aut immaterialem ignem, quemadmodum divinus inquit *David*: Qui facit Angelos suos Spiritus, & Ministros suos flammam ignis, agilitatem, ignitionem, fervorem, penetrabilitatem & acumen circa divinum desiderium & ministerium designans: atque ipsorum sursum ferentem ab omni materiali intelligentia liberam
Z puri-

puritatem. Angelus igitur est substantia intellectualis, semper mobilis, suae potestatis, arbitrioque libera, incorporealis DEI ministra, per gratiam, non naturam immortalitatem consecuta: cujus substantiae speciem & terminum solus Creator agnovit. Et in Commentario haec leguntur: Angelicae substantiae naturam ac praeclearas proprietates hoc loco diffusus & copiose Autor edisserit, primum omnium id proponens, quod Angeli incorporei sint & immateriales, spiritualesque solum naturam sortiti: quod ipsius Psalmi 103, Auctoritate corroborat. Pro qua recte intelligenda, id noscere fuerit operae pretium, quod Spiritus substantiae atque naturae Nomen est, designans incorpoream, in visibilemque substantiam ad operandum efficacem. Angelus vero obedientiae atque officii Nomen est, caelestibus inditum Spiritibus, quod inferioribus nuncient aut Spiritibus aut hominibus, quae DEUS revelanda disponit. Et paulo post: Flamman vero ignis vocat sive ignem urentem caelestes Spiritus divinus Psalter, quia spiritualis eorum Natura atque Conditio, corporalis ignis proprietates propemodum servat, ut agilitatem, levitatem, fervorem, lucem, motum ad superna & expressus igni, quam aliam quamvis re corpoream nobis ipsorum incorporealis substantia innotescit.

CL.

Ab Angelis juvat transire ad Animam, quam Lucem esse corpori junctam non veremur asserere. Nam primo ita de illa loquitur Scriptura. Notanter Jobus cap. 3. v. 20. Quare misero data est Lux, & vita his, qui in amaritudine sunt? In quae verba Matthias Flacius: Lux interdum ponitur pro vita, quia viventes Luce habent fruuntur Jobi 3. Quare dedit afflicto Lucem? mox semet exponens addit. Et vitam amarum animo. Quorsum referunt quidam quoque verba illius Principis cap. 33. v. 29. & 30. Ecce haec omnia operatur DEUS tribus vicibus per singulos cum viro, ut revocet animas eorum a corruptione, & illuminet Luce viventium, nec videtur abnuere David, qui ita finit Psalmum 56. In me DEUS vota tua, quae reddam laudationis tibi, quoniam eripuisti animam meam de morte & pedes meos de lapsu, ut placeam coram DEO in Lumine viventium.

CLI.

Balthasar Corderius Antwerpianus quidem per Lucem videtur

tur intelligere illam, cujus beneficio videamus Objecta, dum ita commentatur: *Quid juverit habere Lucem, quâ non nisi damna & detrimenta conspicias, cui merito preferenda sit caligo, quæ tot mala occultaret, atque absconderet.* Addit verò in sequentibus: *Vivere apud optimos quosque Auctores idem esse, quod letum atque alacrem esse & laudat admirabilem, ut appellat planè & Theologo dignam Euripidis sententiam apud Stobaum sermone 285. quam ex vita hujus malis concluderit, dicens: O vita cupidi mortales! Qui posteram intueri Lucem semper cupitis plurimorum onus malorum, aded vitam mortales amant. Scimus quidem vivere; præ Inscitia verò moriendi nullus non relinquere metuit hoc Solis jubar.* Jacobus Boldoucus Parisinus ex Familia Francisci verò ad locum Jobi 33. hæc commentari voluit. Philippus hæc intelligit de Luce agnitionis DEI, quâ homo illuminatus immensa DEI beneficia agnoscat. Alii de Luce futuri seculi. De quâ sententiâ sic optimè & consultè Mercerus: *Sunt qui ad futuram vitam referunt; sed id finam quidem allegoricè intelligi, postquam ad litteram de hac vitâ intellexeris.* Proinde alios reperio Expositores, qui de bonis hujus vite, sicut præcedentia de morte temporali sive corporali interpretantur. Cajetanus quidem intelligit vitationem malorum per reversionem è transitu in foveam sepulchri & periculorum: acquisitionem verò bonorum per illuminationem in Luce prosperitatis viventium in hoc seculo. Sapè quidem conatur DEUS (explicat Pineda) homines justæ morti destinatos propter scelera ab exitio eripere & ex discriminum tum corporis tum animi tenebris in quibus jacebant, ad jucundissimam vitam Lucem, quâ mortales fruuntur, revocare. Ego non de hujus vite Luce generaliter, sed specialiter de Luce prosperitatis temporalis ut Cajetanus, vel potius de Luce seu splendore Nominis, fame & honoris inter viros nobiles & illustres exponendum reor: Sicut nomen □ viventes sume non pro quibuslibet hominibus hæc vitâ fruuntibus, sed ut solent Ebraei pro divitibus, potentibus, magnisque viris, sicut & Appollinarius hanc ipsam vocem vertit βαλδύωνες id est florentes, ubi habemus, inimici autem mei vivunt. Ubi & Cyrillus vivere declarat vigere, posseque pro arbitrio cuncta statuere. Item vivat Rex, apud Hebræos imprecatio est falcitatis. Et justus ex fide vivere dicitur, quia vitat miseras, suppliciaque improbis impendentia, fruiturque mentis tranquillitate. Illud etiam & vivet.

vivet & dabitur ei de auro Arabia magnitudinem & prosperitatem denotat. Denique ad locum Psaltis Joannes Lorinus hæc observat. Euthymius attingit varias Expositiones, ut dictis modis placere coram DEO in Lumine viventium, sit, quamdiu vivas, quia post mortem nullum sit amplius gratificandi tempus: ut sit placere servando præceptum Domini, quod lucidum dicitur, oculosque illuminans & lucerna pedibus: ut sit placere gratum atque acceptum apparere in aternâ illorum Luce, qui perpetuò viſturi sunt: quia scilicet in hæc mortali vitâ caliginæque non possumus DEO perfecte placere. Hoc ultimum placet Basilio ac Theodoro ferèque Latinis omnibus. vel de Christo, qui Lux nominatur & lucerna loco esse dicitur in cælo: denique id ipsum innuit alio psalmo, cum canitur, in Lumine tuo videbimus Lumen. Quidam etiam interpretantur de Lumine fidei, quod est proprium hic adhuc viventium. Augustinus amplectitur utrumque tum fidei Lumen, tum spei. Apollinarius videtur DEUM Regem viventium accipere, & Davidem proponentem ac optantem cantare illi Lumen magnum, id est, celebrem ac illustrem laudem. ζώντων βασιλῆϊ θεῷ μέγα φέγγος ἄδοιμι, viventium Regi DEO magnum Lumen cantem. Propius accedit hæc expositio ad eam, quam literaliorē puto, ut velit David dicere se vota illa laudationum DEO redditurum, de quibus paulo ante meminerat, in me sunt DEUS vita tua &c. inserta causa, quod beneficia tam multa recepisset, quoniam eripuisti animam meam &c. tantâ alacritate & celebritate, ut restitutus patriæ suæ ac terræ promissæ, quæ viventium Regio, terræque nominatur propter rationes olim traditas & loco Tabernaculi laudes divinas decantet in Lumine viventium, id est, ubi extra tenebras calamitatum & idololatriæ liberâ & clarâ frui Luce liceat tum prosperitatis, tum veri ac religiosi cultus DEI: ita, ut, quod postea scriptum est, post liberationem populi ab Aman, & hoc loco à Treveto notatum est, nova Lux oriri, videatur, id est, inquit ille, prosperitas & consolatio. Affinis nostro Locus 114. Psalmi: Placebo Domino in Regione vivorum, ubi præcedunt similes aliæ sententiæ & pro Regione sunt Ebraici ארצות ארץ Terra. Locum utrumque ita etiam, ut diximus, Hieronymus videtur intellexisse, cum Ezechiel tractat verba: Non videbo Dominum DEUM in terra viventium. Porro ad mores pertinet; idcirco eripi nos à morte, à lapsu, à periculis, ut Benefactori DEO grati studeamus ei placere in Lumine viventium,

tam-

tanquam filii Lucis, ita ut Lux nostra etiam aliis luceat, interque homines nationis prave sicut luminaria in Mundo sine querela & reprehensione, & velut simplices filii DEI.

CLII.

At primò Corderius partim nobis non adversatur. Nam si ponamus per Lucem intelligi hîc externam illam, quæ cum die nobis affulget, non tamen excludetur interna, quæ necessariò ad illam requiritur, cujus beneficio æquè conspiciamus damna & detrimenta, quàm externè, imò magis, quia damna illa non tantùm oculis corporis, sed & animæ intuemur atque intelligimus, si concedamus vivere apud optimos auctores quosque idem esse, quod lætum & alacrem esse, ut etiam Vulgatum illud habet, non vivere sed valere vita est, nihilominus vita necessariò in tali statu prosperitatis præsupponitur & connotatur, cum feliciter non vivat, qui absolutè non vivit. Partim recedit aliquatenus à literâ. Nam in Ebræo occurrit vox אור Lux, & opponitur morti, de quâ in sequentibus, de quâ ipse Corderius: Homines hujusmodi, qui semper cum doloribus conflantur, mortem sæpius invocare & avidissimè expectare solent, tanquam unicum anxietatum suarum perfugium & salutis suæ portum securissimum, exponitur per verba subsequents, in qua sicut amari respondent misero, ita vita Luci, quod itaque dat vitam, illud quoque dando vitam dat Lucem, at anima dat vitam, dabit itaque & illa Lucem, non posse autem Lucem conferre, Lumen vitæ dispensare, si non esset Lux. Quis enim tam absurdus ut credat Lumen diei non diffundi à Sole fonte omnis Luminis Tertio opponimus Corderio Jesuitæ Capucinum Boddoicum, qui ad versiculum sequentem vigesimum primum capitis hujus scribit: Sensus est: quare data Lux est, & vita concessa mihi, illisque omnibus qui ob calamitates & ærumnas nihil vehementius, quam mori expetunt: quorum tamen inde crescit miseria, quod quantò magis mortem desiderant, ed celerius fugit ab eis. Nec non si admittere vult Matthæum Polum, qui ita: Lucem id est vitam, ut sequentia declarat, confer Psalm. 6. v. 14. Adde Malvendam in h. locum.

CLIII.

In Bolduco alterum locum expendente. Notamus primò quod

Z 3

Mer-

Mercerum adducat, & commendet, quod de hâc sententiâ optimè & consultè scripserit: Sunt, qui ad futuram vitam referunt, sed id finam quidem allegoricè intelligi, postquam ad litteram de hâc intellexeris. *Secundò* notamus commendari hîc DEI benignitatem, quod scil. DEUS duabus aut tribus vicibus hæc omnia faciat cum uno Viro, nempe correptionem per dolorem, sive morbos varios disponentes ad mortem & prodromos illius, super cubili suo, sive qui sustinentur à lecto affixis, de quo versu 19. quod agnovit quoque *Olympiodorus*, licet laxius extenderit in Catena scribens: Hæc sapientis atque adedò robusti DEI sunt opera, ut tripartita quadam ratione peccantes convertat, verbis, inquam, horribilibus, somniis, morbis. His viis tribus is, in cujus nutu ac potestate cuncta vertuntur cum unoquoque agit homine, ut unâ aliquâ ex his, is qui noxa tenetur, eruditus videt Interitum atque DEUM in vita laudibus offerat. Quod denique redimat à descendendo in foveam inventâ satisfactione & sanior reddatur caro ejus, quam in pueritiâ: revertatur in dies adolescentiæ suæ versu 24, 25, quod tandem redimat animam suam à fovea. & vita ejus Lucem sit visura. Atqui hæc omnia docent, quod partim de Beneficiis alterius, partim hujus vitæ sit sermo, de correptione per morbos qui temporalem hanc vitam attinent, de restitutione sanitatis & floridarum virium, denique de liberatione à fovea, qua utut non negemus etiam infernum notari, sepulchrum tamen insimul indicari asserimus. Notamus in ipso textu institui comparisonem & dici DEUM hæc omnia facere, ut avertat animam hominis à fovea, & illustretur Luce viventium, ut scil. non moriatur homo, nec descendat in sepulchrum vel etiam infernum, sed ut gaudeat Luce viventium, illustretur animâ prohibente suâ inexistentiâ & perichorisi tenebras mortis; Ipse *Bolducus* ita: Si anima pro toto homine sumatur, sensus erit facilis, dummodo vox שחיה Schiahath pro corruptione corporali, quæ putredinis est & qualis est vel Jobi ægroti vermibus scatentis, vel cadaverum in fossâ humatorum. Cùm enim Job sæpè conquestus sit, quod morti vicinus cito inhumari in pulvere & cum ignobilibus abjectissimæque conditionis hominibus in fovea putredinis recondi haberet, in quâ à vermibus corroderetur & absumeretur:

retur: huic querimonix tentat Elihu satisfacere tam in hoc quam in præcedentibus nuperrimè notatis versiculis, quorsum sensus in isto terminatur. Nempè vult Jobum vellicando concludere, quod DEUS pius & nobiles Viros in somniis & visionibus noctis vel etiam illos doloribus affligendo alloquatur: ut illos admoneat, ut respiciant & tam à proxima morte corporali, quam ab infamia plebejæ & ignominiosæ sepulturæ serventur ab ipso notandus, tandem præfixum ך in voce ך׀ commodè posse causaliter accipi, ut sensus sit: DEUM hæc omnia facere aliquoties, ut avertat animam ejus à fovea sive sepulchro & insimul inferno, ut illustretur per Lucem viventium, per Lucem animæ, per quam vivunt, vivunt viventes & quidem per illam Lucem animæ, quæ à DEO accepit Lucem gratiæ & collimat ad Lucem gloriæ & beatitudinis æternæ. Tertio notamus illa, quæ *Bolducus* producit, primò non nobis obesse, nam nec nos excludimus Lucem agnitionis divinæ, Lucemque futuri seculi. Secundò, qui exponunt hæc cum *Cajetano* de Illuminatione in Luce prosperitatis viventium in hoc seculo, & cum *Pineda* de jucundissima vitæ Luce, qua mortales fruuntur, ferè in idem tendunt, in quod nos. Tertio post quæsitas ambages tandem *Bolducus* ad nostri sensus confinia se confert scribendo: Sic DEUM se gerere cum Gheber, id est, viro spectabili videlicet ut talium virorum animas, id est, personas redimat seu liberet, aut servet ab imminente morte corporis & fovea corruptionis, ad quam ob rerum penuriam pergebant, & quam pristinæ claritudinis, honoris, & famæ jactura consequitur: sed corpore vegetos, simulque famâ illustres illos reddat & conspicuos in claro cœtu virorum potentium & nobilium. Favet prototypicus Textus ad lucendum in luce viventium, id est, ut cum in cœtu magnorum virorum extiterit ille Vir; non infamiâ obscurus, sed honore & meritis conspicuus appareat, quanquam nec necessarium sit rerum penuriam quæ deprimit, cujus nullum in textu vestigium, nec de Luce prosperitatis denuò refulgentis accipere, nec si omnia hæc admittamus, necessariò intelligatur Lux hujus vitæ exclusa.

CLIV.

Lorinus primò in variis Expositionibus supponit versionem
ori-

originario Textui non consonam, nihil enim hîc de α placere DEO, sed in Ebræo occurrit לְהַלֵּךְ ad ambulandum; Verum enim לְהַלֵּךְ in hithpael frequentativum accipit sensum, cultum notat indefessum, quasi jugiter in oculis divinis versantium, atque ita tantùm consequenter infert illam complacentiam. *Secundò* nobis non adversatur, dum exponit posteriora verba, ita ut dicat placere coram DEO in lumine viventium esse, quamdiu vivas, quia post mortem nullum sit amplius gratificandi tempus, quæ Exegesis quoque confirmatur ex illo ex præmissa propria, ubi ita: Ut ambulem coram DEO in Lumine viventium, posset efficere sensum, ut vitæ quasi Lumine fruam, vivere me agnoscens beneficio DEI ex eo illud aliud sequitur, ut studeam placere eidem. Hoc DEUS certè per sua intendit, requiritque beneficia, ut ei scil. placeam, eum colam, illi quæ sunt grata faciam, eam vitæ conservationem amplectar, quæ placeat ipsi, sicque vitam æternam ac lumen illud acquiram, quod legitimè viventibus est promissum. *Tertiò*, sicut latissimè posse accipi verba non negamus, ut scil. includat Lucernam Verbi, Lucem illam Mundi Messiam, denique Lumen fidei, ita hîc respici etiam ad ipsam animam & ex illâ pendentem vitam evinci posse, videtur *primò* ex Argumento hujus psalmi, quod *Simeon de Muis* breviter ita complexus est. David à Jonathâ certior factus de implacabili Saulis odio, scil. se in urbem Geth contulit, apud quam tum regnabat Achis. Ibi agnitus statim à Regis ministris, & ad Regem adductus admonitum hunc esse Davidem hostem Palæstinorum infestissimum. David igitur sibi à Rege metuere & stultitiam simulare, quo ipsum falleret: sed præsertim ad DEUM confugere. Tum itaque preces, quæ hoc psalmo continentur, ad DEUM fudit, quibus primo quidem loco servari, ac defendi petit ab hostium crudelitate, simul exponens periculi magnitudinem. Miscet postea consolationem à fide, quam DEO habet, petitam. Mox iterum de hostium injuriis & insidiis queritur, DEI opem adversus ipsos implorans. Rursus spem & fiduciam in DEO suam prædicat. Postremò tanquam perfunctus periculis esset, DEO gratias agit, quod illi est familiare. *Secundò* ex oppositione. Opponit enim hanc ambulationem in Luce viventium non tantùm tenebris spiritualibus, non tantùm exterioribus

ribus inferni, quæ manent impios, sed vel maximè etiam mortis quam metuebat, sepulchro, cui in tanto discrimine vitæ proximus erat, & dicit se ambulaturum non in regione mortis, sed in Lumine viventium. Tertio ex comparatione. Dicit ille: Super me sunt DEUS vota sua: reddam laudationes tibi. Quoniam eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu: ut ambulem coram DEO in Lumine viventium. Ut itaque ereptio gratiosa è morte dicit conservationem in vitâ naturali ex singulari providentiâ divinâ, ut ereptio pedum jamjam titubantium & ruinæ proximorum liberatio dicit præsertionem ab hoste impellere desiderante ipsum in foveam exitii per ditionis & sepulchri vitæque continuationem, ita & ipsum ambulare coram Domino in lumine viventium dicit proxime & primo ambulationem ex vitâ naturali animæ. Conspirat hic Bellarminus, qui hæc habet in Commentario: *Ut placeam coram DEO, sive ut ambulem* (ut habet vox ebraica) *placens DEO in Lumine viventium, id est in Lumine vitæ hujus temporalis, quo carent, qui mortui sunt; item in Lumine fidei & gratiæ, quo carent infideles & peccatores, ut tandem perveniam ad Lumen gloriæ cælestis, quo fruuntur illi, qui soli verè proprièque viventes dici possunt.* Et Simeon de Mus, qui ita: *In Lumine viventium seu vitæ. Intellige hanc vitam, que latinis Lux seu aura vitalis, nec non Lux absolusè appellatur: unde vulgò dicunt Lucem intueri, pro vita frui.* Psalmo 116. Comment. 9. *Proin Lumine viventium, legitur, in regione (Ebraicè terris) vivorum; quod quidem clarè docet, quid hoc loco per Lumen viventium intelligi debeat.* Apollinarius recedit ab originario textu, quanquam si admittamus patriam & terram promissam viventium regionem terramque nominari, nihil nobis decedat, & adhuc sententia nostra subsistere possit.

CLV.

Illud antequam abeamus, non possumus absque obelo transmittere, quod recentior Interpres Thomas Le Blanc de Religiosis exponat hunc locum, atque scribere non vereatur: *Religiosus placet DEO in Lumine viventium; id est in hac vitâ inter viros sanctitate fulgentes, ipse radiis cælestibus coruscans.* S. Bernardus Tractat. ad fratres de monte DEI dubitat: *An eas debeat vocare homines cælestes, an Angelos terrestres.* S. Joan. Climacus gradu 4. *vitam religio-*

sam nuncupat *πρωτομύητων βλαστων* mores cœlestes. S. Gregorius Nazianzenus Oratione nonâ ad Julianum Tributorem Exactorem fol. 159. vocat Religiosos, divini Numinis famulos & discipulos, cœlestiumque rerum Inspectores: generis nostri primitias, columnas, *τις αὐτῶν στέφανος, μαργαρίτας, πύλας*, fidei coronas, preciosas margaritas, Templi lapides, *αὐτῶν ἡμετέρας*, cuius fundamentum & lapis angularis est Christus. Ita Gregorius. Cœnobita enim non tantum sunt, ut ait S. Laurentius Justinianus militaria, atque spiritualia castra pugnantium, sed etiam ut loquitur S. Climacus Cœlum terrenum: & S. idem Laurentius Justinianus de perfectione Monasticæ Convers. 6. In humanis rebus & in hac peregrinatione nihil tam efficaciter gerit in se imaginem cœlestis patriæ, quam monastica Conversatio & Congregatio divino cultui consecrata, dicata S. Bernhardus lib. de Convers. ad Clericos cap. 21. fuscè Cœnobita aquat paradiso terrestri. Deinde vota singula breviter decurrit, & quid in eis sit vitæ & Lucis expendit, atque asserit ex BernharDO, Cœlum promissum esse pauperibus sicut Martyribus. Virginitatis Lucem secundò aperit ex Basilio. Tertio denique obedientiæ radios miratur cum Gregorio libro 6. in 1. Reg. cap. 2. & tandem concludit Religiosos fore splendidos in cœlo adducens Chrysostrum, qui inter cœtera dicit: Si certamen futurum examinare velimus, Monachum quidem videbimus, *λαμπρὸς καὶ εὐδαιμόνων*, splendidum & conspicuum rari inter nubes, ac occursum Christi in aëra exemplo Duris & Institutoris huius vitæ salutaris, omniumque virtutum. At Rex siquidem justè & humanè Imperium suum rexisse visus fuerit, (hoc autem admodum rarum est) minorem salutem, minorem honorem sortietur. Jungit Augustinum Sermone 28. de verbis Apostoli, & tandem Segidium unum è primis Francisci Sociis. Verum aliter iudicant, quibus dextra salit mamilla, aliter ipsi Pontificii qui parietem perfodiunt, & de abominationibus cœnobiorum aliquid norunt. Aliter denique Alphonsus de Vargas in Relationibus, quas commendamus illis, qui in luto superbiunt.

CLVI.

Subjicimus hæc ex B. Osandro: Quare enim misero data est lux, & vita his, qui in amaritudine animæ sunt? *id est: Quare DEUS vivos conservat, & lucem huius mundi aspicere finit eos, qui sunt calamitosi, & in magna animi angustia versantur? quantum satius esset,*

esset, illos per mortem statim è tantis ærumnis eripi? Addimus illi Coccejum, qui sequentia prodit: Vita non est hominibus bono, quia viventes sunt miseri. *Quare?* Cui bono, cum qua utilitate eorum, quibus eam dat? Ita interrogat, ut significet, se, etiamsi absolutè id negare non possit, tamen cupere de hoc erudiri, & quia non appareat, aliquem fore, qui de ea re hominem erudiat, se meritò angi & inquietari. Deinde, *quare*, etiam de causa impulsiva interrogat. Cùm DEUS sit multus bonitate & gratia, quid ipsum impellere potest, ut homines velit tam miseram vitam intrare? Est ea interrogatio valdè *αετλιασική*. Prior sensus vocis *Quare*, convenit, si quis spectet mercedem pietatis homini promissam: Alter, si quis spectet naturam DEI. *Dat*, DEUS, vel quisquam, qui habet facultatem hominis vitam adjuvandi. *קָמַר* & alibi in hoc libro occurrit. Hic est *παιλαίπωρος*. Chald. *לְלַעַי* h. e. laborioso. Sic in illo, *לֹא יֵלֵךְ וְלֹא יֵלֵךְ* quæ non laborat, nec manducet. *Amarus anima* dicitur, cui anima amara est. h. e. mœstus, tristis, cujus anima non acquiescit, sed æstuat (unde & *מַר נַפְשׁ* *amarum anima* substantivè pro dolore Esa. 38. v. 15.) ita indignabundus, iracundus. Jud. 18. v. 25. Et tandem *Sebastianum Schmidium*, qui ita: *אור* *Lux* nihil aliud est, quàm vita: sicut ipse versus exponit. Dicitur autem vita lux, non in Scriptura tantùm, sed in quibusvis ferè linguis e. gr. cùm Germani dicimus, *Sinem das Licht außblasen*: quia vita in luce vivitur, juxta actionum viventium ordinarium modum. Unde *videre lucem* est nasci, quod Latini dicunt, in lucem edi. Metonymiam subjecti vocant. *מַר נַפְשׁ* *Amani anima* in Scripturâ ambigüè dicuntur, ut benè notat *Coccejus* hoc loco: partim iracundi aut iratis; partim tristes: & notatur affectus facultatis irascibilis.

CLVII.

Ut autem anima hominis est Lux ipsius, ita vel maxime sese prodit in Facultatibus suis & imprimis in illis, quibus super cætera animantia quæ natura fixit prona & ventri obedientia eminet. Quod ipsum Solomon egregiè docet Proverb. 20. vs. 27. ubi verba ex Ebræo ita redduntur: Lucerna Jehovæ est anima sive animus hominis, quæ investigat omnia interiora ventris. In

A a 2

quæ

quæ verba ex Pontificiis Cornelius à Lapide postquam alias recensuisset Expositiones ita: Genuinè spiraculum sive Spiritus hominis est ipsa ejus anima, vel animus, ut vertit Pagninus. Hæc enim Hebræis dicitur Nescana, id est Spiritus: quia anima respiratione se prodit, æquè ac conservatur in homine. q. d. Anima hominis est quasi Spiritus lucidus, sive Lux spiritualis derivata & illuminata ab immensa Luce, sive à Spiritu lucidissimo DEI, per quam & seipsum, imò intima sua, ac DEUM Creatorem suum cognoscit: quod non faciunt cætera animalia. Spiritus ergò vitæ, quem DEUS sufflavit in faciem Adæ, indendo eam animam rationalem Gen. 2. est tanquam Lampas, imò fax reliquis anima potentiis, Lumen ei administrans & cognitionem, per quod Lumen ei inditum anima vestigat & pervidet intimas suas cogitationes, desideria & intentiones. Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est 1. Cor. 2. v. II. nec tantùm suas, sed & alienas rimatur & perspicit. Undè noster Salazar appositè sic explicat: Lucerna Domini spiraculum hominis, id est, mens quidem Lux est à DEO homini immissa, vel certè Lux magna & splendidissima, Lucerna scil. alias omnes Lucernas vincens est mens humana: nam aliarum splendor Lucernarum Objecto quovis corpore opaco deficit, & ulterius non pervadit: at mens omnia penetrat, aded ut nec crassissimi corporis Objectu contineri possit, quo minus ejus Lux ad interna & arcana cordis perveniat, & latentes in aliorum animis cogitationes deprehendat. Porrò Lucerna hujus, puta anima Lux est duplex: una naturalis, puta naturale rationis Lumen, quo præ cæteris animantibus à DEO dotatus est Homo: quod duas potentias nobilissimas, puta intellectum & voluntatem complectitur, quibus homo omnia, quæ in mundo sunt, intelligere & appetere valet. Altera Lux Anima est supernaturalis, puta Gratia cum virtutibus suis. Hæc enim est quasi Lucerna & Lux cælestis derivata & accensa à Lumine divino, quæ præeunte fit, ut homo longè melius & clarius, quàm per Lumen rationis naturale investiget, cognoscat & dirigat secreta ventris, id est intimas cogitationes mentis suæ tum subindè etiam aliene. Unde Baynus hunc versum nequens præcedenti: Et hæc, inquit, ad Regem sapientem referri videntur: qui dum Judicia DEI exercet, & in terris illius quodammodo fingitur munere, divinam Sapientiã & Lumine indiget, quo malos à bonis secernere possit, & secreta cordium investigare, quod ipse fecit Salomon,

non, dum duobus mulieribus de infantibus mortuo & vivo contendenti-
 bus auscultaret. 3. Reg. 3. Cui conspirat Malvenda. Ex Calvi-
 nianis Junius & Tremellius reddiderunt hæc verba: *Velut Lucerna
 Jehovæ est anima hominis, quâ per vestigat omnia penetralia ventris.
 Piscator pressius ad textum: Lucerna Jehovæ est anima hominis: quâ
 per vestigat omnia penetralia ventris. Matthews Polus tandem: A-
 nima sive vis intelligendi: Spiritus tam naturalis, anima cum suis po-
 tentiis; quàm supernaturalis, nempe Gratia cum annexis virtutibus Lu-
 cerna Domini, id est, vel accensa à Domino: sic dicitur ob Lucem eî
 cœlitus infusam, vel quod Lucerna divina, lucidissima; ut arbores DEI,
 flamma DEI &c. quæ captum viresque homini exsuperat; quæ id habet
 divini ut latentia scrutetur, quod DEI est Jeremie 17. v. 10. Anima
 instar Lucernæ, obscura detegit; viam incedenti monstrat, inter bonum
 & malum discernit: ita commendatur hęc anima hominis tum ab origi-
 ne, tum à perspicacitate. Denique ex Lutheranis D. Lucas Osander,
 B. Proavus in Commentario suo hæc adjicere voluit: *Vita homi-
 nis, quæ penetrat per totum corpus, etiam per intima viscera, est quasi
 Lumen quoddam à Domino accensum, unde omnia membra suum officium
 faciunt. Hanc Lucernam autem Dominus extinguere potest uno mo-
 mento, dum animam à corpore separat, tum omnia sunt cœca & mor-
 tua. Quare DEUM timeamus, in cujus solius potestate est vita
 nostra; & rectè utamur corporali vitâ, nè æternâ excidamus. Et
 Dn. Geierus sic adornavit suam Epicrisin: *Hic Anima hominis in-
 primis spectatur ratione intellectus divinitus concessi, juxta quem præ-
 dita est facultate difficilia quæque investigandi in naturâ, adeoque res
 tum extra se, etiam longissimè remotas, ut cœlum ratione altitudinis
 stellarum inibi hærentium, motuum &c. item Terram, Mariam, res mix-
 tas perfectè, imperfectè &c. tum intra se, cui sequitur de ventris pe-
 netralibus. Unde etiam Pagninus per animum expressit. Addita au-
 tem voce Adam hominis, discrimen fieri debuit inter animam bruto-
 rum, quæ ex terra & elementis reliquis, simul habuit originem & in-
 ter animam hominis, quæ ab immediatâ DEI inspiratione est profecta;
 unde illa etiam rationis expers est, hæc verò rationalis est, imò DEI
 refert imaginem, ceu latius ad Gen. 2. v. 7. & cap. 9. v. 6. ostendi so-
 let. Predicatum metaphoricum est esse Lucernam Domini b. e. præ-
 ditum esse singulari luciditate, perspicacitate, & penetrabili acumi-
 ne &c.***

CLVIII.

Differunt quidem aliquatenus hæ Interpretationes, verum in veritatis, sensus à Spiritu Sancto intenti & nostræ sententiæ centro conveniunt. Omnes enim subjectum agnoscunt animam hominis, utut vel ratione Essentiæ, vel facultatum potiorum, vel ratione vitæ spectatam, omnes Lucernam accipiunt de Luce quadam quæ intrinseca animæ, vel ex illa sese diffundit. Rectè autem relinquuntur aliorum longius petitiæ Exegeses, qui vel de cogitatione & intentione secreta hominis explicant, atque volunt illam DEO patere, utut cæteros lateat, eique esse velit perspicuam Lucem, vel Lucernam DEI favorem & benevolentiam esse dicunt, qui instar Lucis recreet & vivificet, vel sermonem hominis pii substituunt & eruditi, atque illum Lucem sive Lucernam esse existimant. Videatur *Malvenda*, qui postquam primam & genuinam proposuisset sententiam, alias subnectit, remotiores.

CLIX.

Proprietates Lucis supra produximus, quod scilicet sit splendida, pura, sui diffusiva, suavis, utilis, efficax & penetrans, quæ omnes & singulæ quoque in animam quadrant rationalem, nam & illa est splendida & gaudet intellectu, qui est Lux in homine, Rector nostri, unde ipse Christus Matth. 6. v. 22. para est anima ab omni compositione & mixtura, & proinde etiam impassibilis, quod Salvator noster indicare voluit Matth. 10. v. 28. diffundit se etiam in universum corpus & singula illius membra & partes, ut beneficio illius vivant, ut constat ex Gen. 2. v. 7. nec malè *Augustinus* libro de Spiritu & Vita cap. 14. *Mira societas carnis & anima, Spiritus vita & limi Terra. Sic enim scriptum est: Fecit DEUS hominem de limo Terra & inspiravit in faciem ejus spiraculum vita, dans ei sensum & intellectum, ut per sensum totum sibi sociatum vivificaret & per intellectum regeret: & ut per intellectum intus ingrederetur & contempleretur DEI sapientiam & per sensum foras egrederetur, & contempleretur opera sapientia, intellectu intus illustravit, sensu foris decoravit, ut in utroque refectionem inveniret, suavissima est corpori, aded quidem, ut ipse Diabolus dixerit Job 2. v. 4. pellem pro pelle & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua, ad quæ attendens *Salvianus* scripfit lib. 3. in Ecclesiastem*
Scilicet.

Scilicet dilectissimam esse animam homini etiam diabolus non negavit; & quia avertere omnino cunctos ab affectu animarum suarum nititur, idem tamen charissimas esse debere suas animas confitetur. Quis igitur addit, Furor est, viles à nobis animas nostras haberi, quas etiam Diabolus putat esse preciosas? quis furor est, viles à nobis haberi, quas etiam ille charas nobis debere esse dicit, qui viles facere conatur. Utilissima quoque ad corpus conservandum, regendum & omnes actiones vitales exercendum, quod ex opposito patescit Psalm. 30. vs. 10. efficax denique & penetrans cum sit Spiritus, qui maximè activus, nec circumscribitur, ut corpus, unde etiam dicitur redire, ut Spiritus ad DEUM Ecclesiasticis 12. v. 7.

CLX.

Sed nè deesse nobis videatur etiam in Antiquitate, qui consimiles conceptus habuerit, adducimus Augustinum, qui in libro de Spiritu & Anima cap. 43. ita scribit: *In morte vita nostra non perit, sed corpus destituit: dum discedens anima via suam non perdit, sed quod vivificaverat, hoc dimittit, & quantum in se est, mortem alterius facit, quam ipsa non recipit: Facit, inquam, non vivificando, quod deserit, non amittendo, quod vivit. Itaque mors hominis nihil aliud, quam carnis occasus, à quâ cum vis potentia abscesserit in terram, de quâ sumpta est, redit, amissis sensibus, quos per seipsam non habuit. Anima non aliter, quam Sol Lucem diei, vitam tribuit carni, cum venerit, mortem efficit, cum recedit. Mors tamen non consumit conjuncta, sed dividit, dum origini suæ utrumque reddit.*

CLXI.

Si Judæos quoque & Gentiles audire placet, notum est, quod illi quidem inter Luce, quas conditas dicunt, tertiam dicant Lucem animæ, quæ eundem locum obtineat cum secunda Luce intelligentiarum à materiâ separatarum & dictæ quoque sint Luce, ut ex Sapientis verbis constet Lux justorum latificabit. Proverb. 16. v. 9. *Mercurius Trismegistus mentem nostram dixit: Ab Essentia DEI esse quasi diffusam & extensam sicut Solis splendorem. Seneca in Consol. ad Helvian. cap. 6. scripsit: Si primam mentis originem adspexeris, non est ex terreno & gravi concreta corpore: ex illo celesti Spiritu descendit. Et Quintilianus 10. declamat. ita perorat: Animam verò flammei vigoris impetum, perennitatemque non ex nostro igne,*

igne sumentem, sed quo sidera volant, & quo sacri torquentur axes, inde venire, unde rerum omnium Authorem, parentemque Spiritum ducimus, nec interire, nec solvi, nec ullo mortalitatis affici fato: sed quotiens humani pectoris carcerem effregerit & exonerata membris mortali-
bus levi se igne lustraverit, petere sedes in astra.

CLXVII.

Uberius ut confirmemus sententiam nostram, primò recolemus, quod hætenus ostensum, DEUM esse Lucem, Angelorum naturam referre ignem flammantem, si itaque DEUS qui Spiritus & Angeli qui eadem gaudent immaterialitatis prærogativa sub nomine Lucis præsentantur in Scripturâ; Anima autem nostra non ad classem corporum refertur sed Spirituum, planum est si Spiritus in DEO, & Angeli dicit Lucem, dicere quoque illam in anima nostrâ, adeoque illam nihil aliud esse quam Lucem quandam nostri corporis à summâ illâ & primâ nobis communicatam creata à DEO ita ut secundum Prudentiam ei sit:

Origo cælum purusque fons ab æthra

Secundò phrasas Scripturæ conferimus, quæ frui hâc vitâ per videre Lucem nobis exponit Psalm. 36. vs. 10. ut quidam volunt, quæ non videre Lucem de animæ discessu & morte usurpat Psalm. 49. v. 20. quæ Lucem non videre vult intelligi de infantibus, qui moriuntur in utero matrum Jobi 3. vs. 16. quæ denique Lumen adspicere enunciat de illo qui vivit, vel vitam dicit illius, qui non mortuus est. Tertio ad mortis descriptionem scripturariam attendimus, quæ per tenebras nobis illam adumbrat; Ita Regum sapientissimus Ecclesiast. cap. 11. v. 8. quare inquit, si multos annos vixerit homo, lætetur in illis omnibus, & recordetur dierum caliginis, quod multi sint futuri h. e. gaudeat in illis vitæ suæ diebus, ita, ut meminerit quoque jugiter dierum mortis, in quibus absens anima Lux sua, quam longa scilicet sit metuenda Nox. Ita princeps Idumæorum exercitatissimus cap. 10. v. 20. 21. Nunquid non paucitas dierum meorum finiatur brevi? dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum, sive ut recree paululum. Antequam vadam & non revertar, ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine. Ita Rex DEO dilectissimus Psalm. 88. v. 12. & 13. quærit: Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam

ricordiam tuam? & veritatem tuam in perditione? Nunquid cognoscantur in tenebris mirabilia tua; & iustitia tua in terrâ oblivionis? adde consimiles phrasas de morte & sepulchro passim obvias Ecclesiasticis 6. v. 4. Thren. 3. v. 6. Jobi 17. v. 13. Psalm. 143. v. 4. Tobix 4. v. 11. & cap. 14. v. 12.

CLXIV.

Improbamus itaque primò Opiniones Veterum, qui vel cum *Anaximandro*, *Anaximene* & *Anaxagora* Animam nostram dixerunt aërem, quos forte *Varro* secutus est, qui referente *Lactantio* libro de Opificio DEI ita scripsit: *Anima est aër conceptus ore, defervesfactus in pulmone, tepesfactus in corde, diffusus in corpus.* Vel cum *Heraclito* & *Zenone* cæterisque Stoicis Animam voluerunt esse *Ignem* scilicet materialem, aut Spiritum calidum, aut scintillas astrorum in terras delapsas, vel aliquid aliud igneum cum *Hippaso* & *Parmenide*, vel cum *Empedocle* sanguinem per venas & arterias a liaque corporis organa discurrentem vel cum *Critia* mixtum quid ex sanguine & humore, vel cum *Democrito* rotundarum atomorum congeriem statuerunt, qui propterea cum cæteris illis crassioris *Minervæ* Philosophis ab *Aristotele* irrisus, quod *Dadalo* similes, qui ligneam *Venerem* fabricasse dicitur, quæ infuso visceribus argento vivo, spontè, nullo extrinsecus impellente graderetur. Secundò illorum ex vetustioribus, qui cum *Pythagora* & *Platone* Animam numerum esse dixerunt, vel quia omnium in rerum numeros contineat, cum sit earum typis sive imaginibus consignata: vel quia sicut numeri mathematici inter res naturales & divinas; in anima inter formas à materia absolutas & eas, quæ materiæ affixæ sunt, medium obtineat, vel rationem *Circuli* adpartarunt, quia ut *Circulus* in se recurrit, sic animam intelligendo supra seipsam revoluta notione reflectatur, vel etiam attribuerunt *Harmoniam*, vel quod sensus, quibus tanquam internuntiis utitur sensibilibus rerum consonantiâ quasi musicâ oblectentur, vel propter virium & potentiarum in ipsâ animâ ordinem & consensum. Denique animæ definitionem ex numero motuque composuerunt, dicentes, Animam esse numerum moventem se, quia dum anima contemplatur, dum sentit, dum vegetat, movere se dicitur, propterea, quod operationis principium & fons sit; nec aliundè moveatur,

B b

veatur,

veatur, ut ea, quæ vitæ sunt expertia, quibus se propterea opposuit *Aristoteles*, quanquam sint, qui existimant non tam reconditi sensus veritatem, quam verborum externam crudelitatem *Aristotelem* impugnasse, de quo videndi *Thomas* lectione octavâ, Cardinalis *Bessarion* lib. 2. cap. 10. contra Calumniatores Plat. Et *Andreas Libavius* Epistola ad *Georgium Limnæum*. Tertio illorum quoque qui cum *Hippocrate* in 1. de Ratione Victus, animam aliquid contemperatum dixerunt, verba illius ita habent: *ἰστέπει ἐν αὐθράων ψυχῇ πύξις καὶ ὕδατος σύγκρησις ἔχεται*. Similia offendes apud *Galenum*, qui in libro, quod mores temperamentum sequantur, ingentem sibi jam oboriri suspicionem dixit, ut totam animæ substantiam esse corpoream credat, quanquam aliquoties professus sit, ignorare se, quid sit anima, quibus *Epicuræi* accensendi, utut autem *Andreas Laurentius* lib. 10. quæst. 3. anatomica de anima medicè considerata locutum fuisse *Galenum* existimat, & *Hippocratem* non ex propriâ mente, sed Veterum opinione *Fernelius*, ipsa tamen sententia de Temperamento pro anima substituto intolerabilis est Error, de quo ita pronuntiavit *Joannes Argenterius*: Si actiones quæ in corporibus reperiuntur, non ex aliâ causâ, quàm ex temperamento proveniunt, erunt profecto mores & actiones porcorum simillima moribus & actionibus hominum: cum Caro suilla similis saporis & temperamenti cum Carne humanâ à Galeo esse dicatur *Methodi* 7. & alibi, nec malè *Scaliger* Exercit. 307. In animâ est facultas ad movendum antrosum, retrorsum, dextrosum, sinistrosum; quod in elemento nullo. Alia quoque illustriores sunt animæ potentia, quæ non sunt in elementis. Sed hæc de motu manifestiora propius tangunt, atque urunt istos Elementarios animæ carnifices. Et quamvis corrupto temperamento homo moriatur, non tamen concludi potest animam esse temperamentum, quia perinde esset secundum *Argentarium*, acsi quis diceret, animam esse caput, eo quod sublato capite, cogatur illa corpus deserere. Aut si quis dicat hominem esse domum, quod eâ flagrante vel ruente homo vel obruatur, aut abire cogatur.

CLXV.

Nec admittimus sententiam secundò *Philonis Judæi*, qui in libro, qui inscribitur, quod deterius potiori insidietur, DEUM asserit

ferit corporibus humanis nonnihil de suo Numine superno inspirasse, quomodo enim credibile videatur, tam exiguum mentem humanam membranulâ cerebri, aut corde haud amplis spatiis inclusam tantam Cœli, Mundique magnitudinem capere nisi illius divinæ felicitisque animæ particula esset indivisibilis, Platonicorum quorundam, qui teste *Plutarcho* dixerunt animam mentis participem factam, non solùm DEI opus esse, verum etiam partem, neque ab eo, sed de eo & ex eo factam esse. Denique veterum hæreticorum, qui cum Carpocrate, Cerdone, Gnosticis, Manichæis, Priscillianistis statuerunt, animam hominis esse ex substantiâ DEI prognatam, de quo *Irenæus* libro 1. adversus hæreses cap. 24. *Theodoretus* in libro de divinis decretis, *Augustino* libro de hæresibus cap. 46. & 70, quam opinionem erroneam non tantùm impugnavit Hipponensis ille Episcopus in libro de origine animæ cap. 2., sed & notavit *Chrysostomus* Homilia 13. in cap. 2. Genes. & *Athanasius* in libro de q. c. de Anima, *Leo* Epistola 91. cap. 5. & *Concilium Braccarense* primum cap. 5.

CLXVI.

Tertiò displicent quorundam recentiorum placita. Inter quos primò *Thomas Campanella* Animam sensitivam dixit esse Spiritum animale, qui nulli organo corporis affixus, de sensorio uno in alterum vagabundus transcurrit: sicut multi in nave milites, & gentes in domo, & homines in civitate, in officinis, plateis, ædibus & viis diversas obeunt functiones, lib. 2. cap. 18. de sensu rerum omnium, & lib. 2. cap. 13. Spiritum illum dicit esse non tantùm Ens quoddam ambulatorium, sed & animal quod definit per Spiritum habitantem in crassâ mole. *Secundò* *Sebastianus Basso*, quem secuti *Bootii* conjurati formas rescindere fratres, quorum mens ita ab ipsis exponitur pag. 71. specifica perfectio, ab ipso DEO constituta, in causa est, cur talia atque talia accidentia in quaque specie reperiantur, ut proinde supervacuum sit, fingere formas substantiales, ad quas eorum origo, tanquam ad fontem referenda sit, & quarum ratione composita illam accidentium congregationem atque connexionem requirant. Et *Pembellus* qui sic ratiocinatur: Forma corporis naturalis est vel substantia, vel accidens: si substantia sit, erit vel materialis & corporea, vel immaterialis & spiritalis.

ritualis. Hæ divisiones sunt immediatæ & ex terminis oppositis, toto genere differentibus constant: ita ut ineptè diverticulum quæ-
ratur in distinctione substantiæ in perfectam & imperfectam, aut
in gradus quosdam intermedios inter substantiam & accidens;
inter materiam & spiritum, quos neque natura, neque philosophia
peripatetica ullo modo admittit: puritas enim purissimæ mate-
riæ non eximit rem è gradu rerum materialium, nec speciem va-
riat: illa enim Entitas media inter substantiam & accidens nè con-
cipi quidem potest & certè novum requiret prædicamentum &c.
Sunt itaque secundùm Philosophiam peripateticam & Naturam
quidem ipsam distributiones illæ irrefragabiles: ex quibus sic pro-
cedo. Forma nec est substantia materialis, nec immaterialis: Er-
gò nè omninò quidem substantia est. Nec non vir doctus quidam,
qui suam Crisin interposuit & contra formarum Existentiam ex
hoc capite quoque agere voluit, quia formæ hæ ob nullum alium
finem à peripateticis sint excogitatæ, quam ut per illas ratio reddi
possit actionum propriarum rerum naturalium, quarum hæ for-
mæ essent Radix: cùm tamen nullius actionis naturalis clara &
sufficiens ratio per illas formas substantiales reddi possit, fatenti-
bus ipsis earum Assertoribus eas sibi ignotas esse, quapropter col-
ligendum omninò per omnia formas hasce ab otiosis excogitatas
esse, neque in Natura prout existit habere aliquod fundamentum.
Tertiò Cartesius & sequaces qui ipsius opiniones defendunt & stant
pro assertionibus novis, quas in publicum produxit, tanquam
pro navibus Ajax, de Anima ita philosophantur, ut facillè intelli-
gatur illos eam in solâ cogitatione ponere. Ita enim Wittichius in
Theol. pacif. §. CXIV. Afferere non dubitamus ejus (scil. distinctio-
nis inter mentem & corpus) neglectum variarum hæresum, & errorum
fuisset causam, quod cuilibet ad eam attendenti, & ad Theologica Do-
gmata applicanti, erit manifestum. Ad quam longè accuratius consti-
tuendam, quam uspiam antea fuerit factum profuit Philosopho inprimis
Dubitatio illa hyperbolica de corporis existentia, quam adhibuit me-
ditatione primâ. Supposito enim, cælum, terram, aërem, colores, figu-
ras & sonos, cunctaque externa ad corporeas substantias pertinentia
nihil aliud esse, quam ludificationes somniorum, corpus quoque aliquod
habens manus, oculos, carnem & sanguinem peculiari ratione secum

conjunctum, falso se putasse, omniaque ea, quæ vel nunc putet, vel olim putaverit se per sensus cognovisse, falsa esse: corpus ipsum, figuram, extensionem, motum, locumque esse mera figmenta; remansit tamen, se quæ omnia ista sic supponit & opinetur, qui de omnibus tum corporibus tum attributis & accidentibus corporum dubitet, existere, seque esse id ipsum, quod post hanc suppositionem remaneat, scilicet rem cogitantem h. e. dubitantem, intelligentem, affirmantem, negantem, volentem, imaginantem quoque & sentientem, sive illud ipsum quod imaginetur & sentiat, verum sit, sive non. Unde consequitur porro: cum sic mens habeat Ideam sui ipsius tanquam cogitantis & non extensa & ex aliâ parte distinctam Ideam corporis, quatenus est tantum res extensa, DEUS autem utramque rem istam cogitantem & alteram extensam, quantumque arcta Unione conjunxerit, separare possit, illas duas substantias esse realiter distinctas, nihilque quod ad Essentiam alterius pertineat posse alteri adscribi. Neque enim habemus aliud signum, quo substantiam aliam ab alterâ distingui cognoscamus, quam quod alteram ab alterâ distingui cognoscamus sive intelligamus. Quæ omnia plenius cognosci velim à Lectore humanissimo ex Meditatione I. II. & VI. Cartesii. Sic igitur obtinuit, ut nihil eorum quæ ad corpus pertineat, cujusmodi sunt Extensio, Figura, Motus, Locus & quævis, quæ dicuntur qualitates sensibiles ad mentem debeat referri. Quæ omnia debuit Vir celeberrimus *Maresius* scilicet vera agnoscere, si quod dicit articulo 7. Philosophus illud principium doctrinale in suâ philosophiâ posuit, cui reclamare nullus Scepticus jure possit, nempe cogito, ergo sum. Non enim aliter illud posuit, neque aliter illud ponere potuit, nisi in dubium revocatis omnibus corporibus & corporeis attributis ac qualitatibus, & à mente accuratius distinctis. Sic igitur ad mentem pertinet intelligere, affirmare, negare, velle, nolle, dubitare, imaginari & sentire, quæ omnia cum in se cogitare includant, illud ipsum cogitare non minus Essentiam mentis censendum est constituere, quam extensio constituit Essentiam corporis, eo ipso, quod omne, id quod pertinet ad corpus, figura, locus, motus, colores, saporis &c. in se extensionem includant. *Ludovicus de la Forge* Medicinæ apud Salmurienses Doctor in tractatu de mente humanâ: *humanam Animam esse substantiam cogitantem*, adeoque *Cartesium* rectè sensit in præfatione præmissa libro ex *Augustino* ostendere satagit, scribens: *Ut id probetur, legendum primò est id, quod*

S. Augustinus scripsit in libro de quantitate anime bisce verbis. Intelligendum enim (quanquam DEUS fecerit animum) habere illum certam substantiam, quæ neq; terrea, neq; ignea, neq; aërea sit, neq; humida, nisi forè arbitrandum est Deum dedisse terra, ut nihil aliud sit, quàm terra, & non dedisse animo, ut nihil aliud, quàm animus sit. Si autem definiri tibi vis animum, & queris, quid sit animus, facile respondeo, nam mihi videtur esse quedam substantia rationis particeps, regendo corpori accommodata. Adde reliqua. Tandem prolixè Petrus Poiret in Cogitatione rationali. c. 1, 2. & imprimis 3. Effectus Lucis quoque notavimus, quod scilicet illuminet, dirigat & ducat iter facientes calefaciat & vivere faciat, sed & hi nequeunt negari de animâ humanâ, nam & ipsa illuminare solet, per intellectum, sensusque tum interiores, tum exteriores, Lumen infundens oculis, radios cæteris organibus. Gloriatur sanè de illa Luce illuminante, qui dicit: Puer eram ingeniosus & sortitus sum animam bonam ψυχὴν ἀγαθὴν. Et cum essem magis bonus veni ad corpus incoquinatum. Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia scire, cujus esset hoc donum: adii Dominum & deprecatus sum illum &c. Sap. 8. v. 19. 20. 21. dirigit & ipsa iter facientes tum in via negotiorum civilium, tum in via supernaturalium passuum ad beatitudinem æternam, unde Christus viventes, & qui anima gaudent, alloquitur sequentibus: Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant. Et qui ambulat in tenebris, nescit, quo vadat, dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis Joh. 12. v. 35. 36. vegetat denique anima corpus & vivere facit, unde etiam Elisæus ad Sunamitidem dixit: In tempore isto in hac eadem horâ, si vita scilicet actus primi sive anima comes fuerit, habebis in utero filium 2. Reg. 4. v. 16. Et Augustinus lib. de Anima & Spiritu cap. 9. Animam & Spiritum idem esse in homine dicit, quamvis aliud notet Spiritus, aliud Anima. Spiritum namque ad substantiam dici, animam ad vivificationem. Spiritum esse, in quantum est ratione prædita substantia rationalis, animam in quantum est vita corporis. Item unam atque eandem animam in semetipsa vivere per intellectum & corpori vitam præbere per sensum. cap. 48. hæc leguntur. Nec duas animas credimus esse in uno homine, sicut multi scribunt, unam animalem, qua animetur corpus & immixta sit sanguini & alteram spiritalem,

lem, quæ rationem ministrat. Sed dicimus unam eandemque animam esse in homine, quæ & corpus suâ societate viviñcet & semet ipsam suâ ratione disponat. Tandem cap. 61. scribit: Anima in Essentiâ est simplex, in officiis est multiplex. Habet enim septem actionis gradus, quibus vires suas atque potentiam ostendit. Primus gradus est vivificatio. In quo gradu anima præsentia suâ corpus vivificat, colligat in unam, atque in unum tenet &c. Unde etiam secundum illum accuratiorem ex Patribus Doctorem in morte vita nostra non perit, ut loquitur in libro de Spiritu & Anima cap. 43. sed corpus destituit: dum discedens anima vim suam non perdit, sed quod vivificaverat, hoc dimittit, & quantum in se est, mortem alterius facit, quam ipsa non recipit. Facit, inquam, non vivificando, quod deserit, non amittendo, quod vivit. Itaq; mors hominis nihil aliud est, quàm carnis occasus, à quâ cum vis potentia abscesserit in terram, de quâ sumpta est, redit, amissis sensibus, quos per seipsam non habuit. Animam non aliter, quàm Sol lucem dici, vitam tribuit carni, cum venerit, mortem efficit, cum recedit. Mors tamen non consumit conjuncta, sed dividit, dum origini suæ utrumque reddit. Optimè nam sicut, si ex conclavi removeas lucem vel facem aliquam sequuntur tenebræ & nox succedit, ita anima recedente è corpore deficit vita, quia lux illa ulterius lumen suum non dispensat corpori, atque sine vitâ, sensu & ratione corpus in cadaveris naturam transit.

CLXVII.

Hactenus de Anima rationali, quam lucem esse ostendimus ex Scripturâ, testimoniis Antiquorum & rationibus, quibus aliæ quoque possint addi, si & temporis & chartæ latitudo admitteret, nec properandum esset ad alia, pergimus autem atque in hoc argumento illud, quod Doctorum ingenia hactenus exercuit, variis in Theologiâ, Medicinâ & Philosophiâ in varia abreptis de ortu animæ rationalis, quæ etiam Patribus in Ecclesiâ visa fuit difficilis & impedita quæstio. Censemus autem nos posse lucem fænerari, etiam huic aliâs obscuræ materia & difficili argumento ex naturâ lucis, ex indole ipsius animæ rationalis. Nam si illa est lux & quidem fæcunda ex benedictione divinâ, Gen. i. v. 28. utique sese poterit promovere & diffundere, quemadmodum aliâs lucis tanquam insignis Boni est sui esse diffusivum, & sicut Sol incidens in Speculum ignem

ignem producit, ita lux corporis sui similem poterit generare. *Secundò*, sicut lux momentaneè quasi, modoq; quodam se immateriali propagat, ita & lux animæ non materialiter sed spiritualiter sese communicabit, promovebit. Denique sicut lux quædam à duabus concurrentibus ignibus potest existere, ita in concursu maris & feminæ, nec non animæ utriusque potest emergere lux geniti. nec obstant huic delineationi, quæ unus & alter reposuit, ut ante viginti & plures annos in Collegiis privatis abundè docuimus discussis omnibus illis, quæ contra producta excipi solent, imò illustramus uberius hanc sententiam prototypo illo eminentissimo Trinitatis. Est sanè Deus Pater nil nisi mera Lux, Filius Lumen de Lumine, Spiritus S. deniq; Lux quædam ab utroque citra divisionem, aut aliam aliquam imperfectionem, ut igitur Spiritus S. est Lux quædam à Patre & Filio, nec tamen propterea duplicatur, aut partialiter ex Patre, partialiter ex Filio suum Esse accipit, ita anima geniti utut sit à patre & matre non propterea geminatur, vel partiali influxu, quasi esset divisibilis, aut componibilis ex duabus à patre, & alio inadæquato & partiali à matre procedit. Hinc *Cornelius à Lapide* ita: Lucerna vitæ est symbolum: Sicut enim lucerna alitur oleo & aëre, eoque deficiente extinguitur: ita vita alitur humido radicali & spiritu, sive halitu, eoque deficiente deficit & emoritur. Rursum, sicut lucerna una accendit aliam sibi vicinam: sic pater vitam suam communicat filio. Unde *Plato* lib. 6. de legibus: Gignentes, inquit, & alentes liberos, vitam tanquam lampada alii aliis tradunt. Hinc illa lucernarum superstitio, ut ex eâ omen caperent, an proles futura effet vitalis, quam recenset & carpit *Chrysostomus* Homil. 12. in Epist. 1. ad Cor. Siquidem, inquit, cum nomen filio imponendum sit, omiſſa Sanctorum appellatione, sicut majores faciebant accensis lucernis & his nominibus Gentilium se. impositis, quæ plurimum duraverit, ejus nomine filium appellant, hinc cum diuturnius victurum conjectati. Unde & illud *Plauti* in *Curculione*: Tute tibi puer os lautus, lucas cereum. Hinc rursum, Sponsis præferebant lampades & tædas accensas in nuptiis, ut significarent, quod per opus nuptiale lumen vitæ prolibus à se gignendis essent communicaturi. Hoc significarunt Gentiles, dum finxerunt *Prometheum* furatum esse lucem è cælo, eaque corporibus hominum insertâ illâ animasse & vivificasse.

